UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum Tractatuum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ - Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ collectus: & usui accommodatus

**Drużbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Pars X. Erga Dei Matrem Virginem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

Visual Library

*pœnæ obligationum: propter omnium Sanctorum tuorum, & propter pretioſiſſimæ Parentis tuæ interceſſiones ac merita; propterque tuam amariſſimam Paſſionem, Crucem, & Mortem pro me, à te toleratam. Ut ſic in hora judicii, te placatum, benignum, miſericordemque experiens, conſortio electorum tuorum aggregatus, tecum ingrediar ad poſſidendum Beatitudinis regnum æternum. In quo Tu, cum Patre, & Spiritu Sancto, vivis, & regnas, in Trinitate Deus, per omnia ſæcula ſæculorum Amen.*

# EXERCITIORUM
## PARS X.
## Erga DEI Matrem Virginem MARIAM.

### EXERCITIUM I.
*De P. Parentis cum DEO arctiſſimâ conjunctione.*

1. STatue te coram Pretioſiſſimâ Parente Virgine MARIA.

2. Expende, quàm arctis ſit vinculis illigata affinitatis, & conſanguinitatis, cum diviniſſima Trinitate. Eſt enim Filia Patris æterni: eſt Mater Filii Dei: eſt Sponſa Spiritus Sancti: eſt templum Sanctiſſimæ Trinitatis.

3. Eſt

3. Eſt Filia Patris æterni; non ſolùm communi creaturis, aut juſtis ratione, neque omnino per ſolam Adoptionem: ſed aliquâ aliâ ſublimiori, & intimiori, magisque conjunctivâ, & connexivâ unione, ac filiatione. Sicut enim juxta legis naturalis placitum, puella, quæ nupſit filio, filia eſt Patris ipſius, arctiori vinculo quàm Adoptionis: Ita Beata Virgo, quæ & Mater, & Sponſa Chriſti Filii Dei eſt, erit Filia æterni Patris, arctiore, & altiore quàm Adoptivæ vinculo, & quidem non uno, ſed (ut patet) ſaltem duplicato: primò quidem deſponſationis; cùm B. Virgo ſit Sponſa vera Chriſti, & omnium Sponſarum prima, & princeps: ob quod vocatur ab eodem Sponſo, *Vna, Columba, formoſa;* quâ deſponſatione effecta eſt Humanitas Chriſti: Verbique cum Naturâ humanâ alia deſponſatio, per Unionem Hypoſtaticam. Altero vinculo eſt Maria, Dei Patris Filia, vinculo ſcilicet Maternitatis Dei: quia enim Maria, Mater eſſe debuit filii Dei, ideo etiam eſſe debuit, & reipsâ fuit Filia Patris æterni, ut connaturaliùs ex eâ naſceretur Deus Homo Chriſtus, Deique idem Filius. Propter quod Maria apud Deum in æternis ejus cogitationibus nunquam comparuit, niſi cum reſpectu ad Dei filium, ſeu ad Dei Maternitatem: ita ut quo primùm inſtanti (in ſuâ Æternitate) Deus Mariam cogitavit, cogitaverit ſimul futuram illam Matrem Filii ſui: quam, hoc futuram, cogitare non potuit; niſi ſimul & Filium ſuum cogitaverit: foreque decerneret ejus Filium, ut ita congruè, imò, condignè Dei filius, ex Dei filiâ naſceretur: Ita tamen; ut iſta filiatio Filiæ Dei Mariæ, ſicut debuit deſinere in Filii Dei Materni-

tatem, ſic etiam ex eadem promanaret. Quo etiam ex fontè, Maria ſoror vocatur Verbi, ab
Cant. 5. 1. ipſo Verbo: *Veni* (ait) *in hortum Soror mea Sponſa* & *Soror noſtra parva eſt, & ubera non habet: quid faciemus ei?* Accedit, quod Maria ſpecialiſſimâ ratione nata ſit ex mente Patris æterni, teſte Nazianzeno: nimirum ob ſingulariter magnam Mariæ cum Verbo Dei Filio, & ejus Patre ſimilitudinem. Etenim Verbum ab intellectu Patris productum, ipſamet Maria in ſuo utero progenuit, veraque ejus Mater eſt, ſicut Deus eſt verus ejusdem Pater. Qui ſicut totum Filium ſuum generat ſolus, ſic Maria Mater, eundem illum Dei Filium genuit ſola. Atque propter hanc ſuam cum Patre æterno ſimilitudinem, vocatur, & eſt, Maria Patris æterni, & mentis ejus Filia.

4. Eſt MARIA Mater Filii Dei, ob notam ex fide noſtrâ rationem. MARIÆ enim dixit An-
Luc. 1. 31. gelus; *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI:*
Joan. 1. &; *Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Nimirum DEUS Pater ob ſuam infinitam ſuper nos homines miſericordiam, & ob ſuam item immenſam in Virginem MARIAM charitatem, Filium ſuum, quem tam unicum, quam dilectiſſimum, & in omnibus omnino æqualem ſibi habuit: non paſſus eſt remanere ſolummodo ſuum, ſed eundem ipſum voluit, ex rei veritate, eſſe B. MARIÆ unicum, & dilectiſſimum, & naturalem Filium. Neque verò ita, ut duo eſſent, unus videlicet Dei Filius, & alius Filius Sanctæ MARIÆ; ſed unus, & idem ipſe, qui

Filius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Filius Dei eſt in unâ Perſonâ, etiam eſſet Filius Sanctæ MARIÆ. Quis hæc audiens, non obſtupeſcat?

5. Eſt MARIA Sponſa Spiritus Sancti: non ideo ſolùm, quia Spiritus ſanctus, MARIÆ, tam corpore quàm Animâ per omnem ejus vitam uſus eſt, tanquam organo ſuo; ita ut nulla motio à MARIA fieret, quæ non etiam à Spiritûs ſancti motione fieret. Movebat Spiritus ſanctus ejus linguam, ut cum loqueretur, in verbo non laberetur. Per ejus oculos aſpiciebat, per ejus Aures audiebat, mentem regebat, omnes voluntatis affectûs gubernabat, ita ut etiam minimæ cogitationes, verba, decreta, motines, actus, ſenſationes omnes, Spiritus ſancti inſtinctu perficerentur: Neque etiam ideo ſolùm quia Spiritus ſanctus in Deiparam effudit explevitque ſitim ſuam: quam ille habet infinitam ad communicandum ſe: Explevit autem, quando per immenſam Mariæ capacitatem, flumen illud ſancti Spiritûs vaſtiſſimum, rapidiſſimumque excurrit, atque protenſum eſt: ad eum proportionaliter modum, quo Deus Pater in Filium veluti extenditur: & Pater, Filiusque, in Spiritum ſanctum dilatantur: ſic enim etiam Spiritus ſanctus in MARIAM quaſi extenditur (utitur verbo Extenſionis B. Ildephonſus) & dilatatur: Eſtque per hoc MARIA Spiritus ſancti requies, eſt ipſius ſitis ſedatio, eſt ejus affectûs expletio; dum in eam ille immenſos donorum ſuorum latices, pleno effudit alveo. Multò magìs MARIA Sponſa ſancti Spiritûs eſt, diciturvé: communi tantùm illo modo, quo omnes juſtorum per gratiam ſanctificantem (quâ ornare animas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

animas omnes proprium eſt ſancto Spiritui) animæ, ſanctificantur ac deſponſantur. Eſt igitur MARIA Sponſa Spiritûs ſancti, ſuo quodam proprio, ſpecialique titulo: quem acquiſivit, illo conſenſu, coram Angelo nunciante ſibi ſuperventionem ſancti Spiritûs, exhibito, atque expreſſo. Conſenſus enim ille quaſi conjugalis fuit, quo Beata Virgo, non in Animam ſolùm ſuam, verùm etiam in corpus ſuum conſenſit, jusque ſponſale dedit ſuperventuro in ſe, & obumbraturo ſibi Spiritui ſancto: unde ex tunc Spiritus ſanctus Sponſus MARIÆ factus eſt, non tantùm quia (ut ſupra dixi) incomparabili gratia ipſam replevit, ſed etiam quia illi obumbravit, illamque texit, ac viri vices ſubſtituens, ex puriſſimo ejus Sanguine, atque ſubſtantiâ, Chriſti corpus efformavit, eamque divinâ ſuâ virtute fæcundavit, & gravidavit. Ob quod ſola MARIA eſt (ait Aug.) quæ meruit Mater & Sponſa vocari. Ipſa ſola eſt, in quâ (ut ait Anſelmus) Spiritus Dei, ipſe Amor omnipotentis Patris, & Filii, ipſe per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur, ipſe inquam corporaliter (ut bene dicam) venit in eam, ſingularique Gratiâ, præ omnibus, quæ creata ſunt, ſive in Cælo, ſive in terrâ, in ipsâ requievit: & Reginam, & Imperatricem, Cæli & terræ, fecit Sponſam ſuam.

Ex his collige, ô Amatrix MARIÆ Anima, quàm arctis ſit colligata cum Deo vinculis, quàm intimis aſſociata & devincta juribus. Atque exinde tibi licebit in omnes affectionum piiſſimarum, devotionumque erga illam erumpere, atque efferri pietates.

*PRA-*

## *PRAXIS.*

*Ave pretioſiſſima Filia Patris æterni, ave pretioſiſſima Mater Filii Dei. Ave pretioſiſſima Sponſa Spiritûs Sancti. Per hanc tuam cum DEO tuo affinitatem, quam ego tibi, totius ſubſtantiæ meæ viribus, atque affectibus gratulor: effice me, & colloca, & irradica in gratia, & amore Sanctiſſimæ Trinitatis, &c.*

# EXERCITIUM II.

## *De P. Parente noſtrâ, Dominâ, Matre, Herede, Hereditate, Sponſa.*

1. STatue te in conſpectu Pretioſiſſimæ Parentis Virginis MARIÆ.

2. Expendes: quòd ſit Domina & Regina totius univerſi & omnium creaturarum: Creaturas autem omnes & ſingulas eſſe illius ſubditas, ejusque Mancipia. Quia enim Filius ejus eſt verus Deus, & ideo abſolutus rerum Dominus, omniaque ei ſubjecta naturaliter ſunt: inde conſequenter, Mater hujus Dei, ac Domini omnium, eſt etiam naturaliter omnium Domina, & omnia ſunt ejus Mancipia.

3. Expendes: quòd ſit Mater omnium Hominum: Et in ſpecie Electorum, amatorumque, ſeu Dilectorum ſuorum. Mater enim cum ſit Dei: eſt etiam Mater fratrum ejus omnium. Cùm verò etiam ſit Mater, & inventrix Gratiæ, ac Miſericordiæ, eſt etiam conſequenter Mater filiorum Gratiæ, ac miſerationis. Eo ipſo patiens illos Deo in filios, quo illos ad gratiam Dei dedu-

deducit, & Amicos Dei conſtituit, in eoque ſtatu illos conſervat, quantùm in ipsâ eſt.

4. Expendes: quòd ſit Heres rerum omnium, & quidem naturalis, perinde ut eſt Mater Dei naturalis. Qui cùm ſit Heres omnium, inde fit quoque omnium Heres, & omnia ſunt ejus poſſeſſio, atque hereditas. Omnia ſiquidem quæ Filius habet, Mater quoque ſimiliter habet, ac poſſidet.

5. Expendes: quòd ſit Hereditas, theſaurus, & divitiæ totius quidem Humani generis, at ſpecialiter omnium diligentium, & honorantium illam ſingulariùs. Cùm enim ipſa ſit Filii ſui, Dei verò noſtri, hereditas, & poſſeſſio, juxta illam ipſiusmet vocem, *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum;* Hic autem Deus, & à Patre æterno nobis donatus eſt, & ipſe ſeſe nobis donavit, heredesque ſuos, & coheredes ſimul omnium bonorum ſuorum nos fecit: Matrem quoque ſuam nobis in Hereditatem, & poſſeſſionem largitus eſt. Adde, quòd cum MARIA ſit Innocentiæ, ac Juſtitiæ primævæ, nobis à noſtris primis parentibus perditæ, ſola in ſe conſervatrix, & heres, idcirco ad noſtram hereditatem ipſa pertinet tantùm, in quantùm illa Innocentia & Juſtitia Originalis, noſtra hereditas eſſe (ni perdita fuiſſet) debuit, & in quantùm nobis, ac pro nobis in Maria relicta, atque conſervata manſit, & manet.

Prov. 8. 22.

6. Expendes: quòd MARIA ſit Sponſa, omnium illius ſpeciali Amoris privilegio, ac teneritudine, cultuque Innocentiæ, ac puritatis, nec non morum ejus imitatione excellentium. Cùm enim MARIA tota ſit æmulatrix Chriſti, in omni-

omnibus iis, quæcunq; Creaturæ ſervire poſſunt, ejus dotes, atque excellentiæ, Chriſtus autem deſponſavit ſibi omnes nos per Incarnationem, cujus deſponſationis præcipuus adminiſter, & operator (poſt Spiritum Sanctum) fuit MARIA, ut quæ de ſuâ ſubſtantiâ, deque ſuo puriſſimo Sanguine, Materiam præbuit Humanitatemque Verbo uniendam imò unitam in utero concepit, & ad unionem illam, plusquam admirabilem (quia Hypoſtaticam) realiter, & verè, inſtrumentaliter concurrit: deſponſationemque illius ex ſe conceptæ Humanitatis, ac in eâ ſeu mediante illâ, totius Humanæ naturæ perfecit; per quod etiam ipſa tunc MARIA, ſpecialiſſimo tam jure, quàm gradu, ſupra omnem modum ſummo (uno duntaxat deſponſationis gradu, quo Humanitas Chriſti, Verbo eſt deſponſata, excepto,) Chriſti Filii Dei, atque etiam ſui, Sponſa facta eſt. Ex tunc ergo, & ex hoc fonte, atque Exemplo Chriſti ſui filii, amat, imò ambit ipſa quoque Hominibus deſponſari, ut per hanc deſponſationem, & ſeſe Hominibus, & Homines viciſſim ſibi adæquet, quam poteſt adæquatiſſimè, adſtringatque quàm adſtrictiſſimè. Quæ adæquatio, atque adſtrictio, non niſi per Amoris affectum fieri poteſt. Per amoris autem non quamcunque ſpeciem, ſeu formam, ſeu gradum, ſed per ſolum ſponſalem, deſponſatoriumque. Hic enim ſolus, proprie, & ſummè adæquativus, atque adſtrictivus eſt, imò & unitivus ac identificativus eſt eorum inter ſe, quos connectit. Unde dicitur de deſponſatione corporeâ: quòd ſint *duo in carne unâ*: &; *Ergo jam non ſunt duo, ſed una caro.* De ſpirituali verò Animarum Dei *Mat. 19. 6.*
&Ho-

&Hominis deſponſatione, affirmat Apoſtolus; *1. Cor. 6. 17.* *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo.* Et ad iſtam unionem, identitatemvé Spiritûs Dei nobiſcum, noſtri cum Deo; tota Natura, vis, energiaque Amoris tendit, indeſinenterque adnititur. Accedit: quod hæc ſpiritualis amoroſa deſponſatio, ſicut eſt caſtiſſima, ita nihilominus & fæcundiſſima: ad hoc ordinata, ut ex eâ oriatur proles, tum excelſiſſimarum virtutum, tum converſionis, perfectionisque animarum, tum (quod in idem revolvitur) efformationis, parturitionis, educationisque Chriſti, ſive in nobis, ſive in aliis per nos: dicente Apoſtolo: *Filioli,* *Gal. 4. 19.* *quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in* *Eph. 4. 19.* *vobis; & donec occurratis in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Cujusmodi parturitio, & educatio Chriſti in nobis, non tantùm non eſt probroſa Sacratiſſimæ DEI noſtri Matri, verùm eſt etiam ambitioſiſſima, & ſummè, uniceque expetita: adeo ut nullum habeat iſta Mater, poſt Dei, ſingularem ex ſuo Sanguine, Spiritusque Sancti Virtutis obumbratione maternitatem compactam; nullam, inquam, habeat gratiorem, appetibilioremque maternitatis fæcunditatem: Chriſtique, Dei, ac ſui Filii generationem, quàm eam, quæ fit Charitate deſponſatoriâ, & Animas Deo maritante: cui deſponſationi, atque ſponſalitio contractui ambitioſiſſimè Maria inhiat, eoque ſuper omnia alia vel officia ſua circa nos, vel obſequia noſtra erga ſe delectatur, & occupatur: tantumque ejus ſtudio, atque exercitio capitur, ut Sponſa noſtra fieri, nosque in Sponſos adſciſcere, & ſponſali à nobis affectu coli, non ſolùm non refugiat, aut dedi-

dedignetur, verùm etiam exambiat, & delecte-tur. Omnia fieri amans, glorioſumque ſibi du-cens: dummodo ſuæ Charitativæ maternitatis miniſterio, atque repetito exercitio, formetur Chriſtus ejus filius in nobis, atque gignatur ſpi-rituali gemine ex nobis.

7. Accipies pretioſiſſimam hanc Dei paren-tem, tibi in Dominam & Heram: dabis autem te illi in ſervum, mancipium, & jumentum: acci-pies illam tibi in Heredem, & illi te in Heredita-tem trades. Accipies illam tibi in Hereditatem, & te illi in Heredem dabis. Accipies denique illam tibi in Sponſam, & te illi in Sponſum offe-res, ac devovebis. Coleſque illam omnibus tuis ſtudiis, viribus, moribus, & operibus, tan-quam veram tuam Dominam, Matrem, Here-dem, Hereditatem, & Sponſam.

## PRAXIS.

*PRetioſiſſima DEI Hominis Parens MARIA: in conſpectu Sanctiſſimæ Trinitatis, & in conſpectu dilectiſſimi Filii tui, Domini mei JESU Chriſti; Trado me tibi in perpetuam mancipium, tanquam abſolutæ meæ Dominæ. Trado me tibi in Filium, tanquam dilectiſſimæ Matri. Trado me tibi in He-reditatem, tanquam pleni juris Heredi. Trado me tibi in Heredem, tanquam optatiſſimæ Hereditati. Trado me tibi in Sponſum, tanquam deſideratiſſi-mæ, ſpecioſiſſimæ, & amabiliſſimæ Sponſæ. Tu mihi ſis Domina, tu Mater, tu Heres, tu Hereditas, tu Sponſa, & fac me tibi dignum te, dignum Amore tui, dignum amore tuo æterno, in æternùm.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# EXERCITIUM III.

## *De P. Parentis per Dei Maternitatem exaltatione, &c.*

1. STatue te coram P. Parente Virgine MARIA.

2. Expende: quantùm illam exaltaverit, & ditaverit, & honoraverit Deus, aſſumendo illam ſibi in Matrem?

3. Dedit ſe illi in Filium: & per hoc poteſtatem atque omne jus contulit ei ſuper ſe, fundatum atque radicatum immobiliter: quia ex ratione principiationis ſuæ ab illâ deductum. Quod impoſſibile eſt, & non ſequi, & non durare, quamdiu durat & ſtat, quòd MARIÆ Filius ex eâ conceptus, factus & natus, ſit Deus: & MARIA eſt vera, propria, Naturalis Dei genitrix.

4. Per hoc etiam; quia DEUS dedit ſe MARIÆ in Filium: contulit ei plenum in ſe Dominum, regnativam poteſtatem, Hereditationemque ſui abſolutam: ita ut fas fuerit MARIÆ, Filium DEUM, ex ſe genitum, tanquam mancipium habere: imò & in mancipium vendere, ſi ita neceſſitas exegiſſet. Proles namque naturaliter ſervitium debet Parentibus, & hi, jus regnativum habent in prolem, & ſunt ejus heredes tanquam poſſeſſionis ſuæ propriæ, & in vitæ ſuæ, libertatisve ſubſidium, poſſunt prolis vitâ & libertate uti. Et poteſtné aliquid ampliùs ad iſtam MARIÆ exaltationem addi, aut etiam excogitari? O verè Domine JESU, Luc. 11. 21. *beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti!*

5. Per

5. Per hoc etiam; quia Deus ſe Filium MARIÆ fecit, contulit illi, ditavitque illam ampliùs, quam ditaſſet, ſi illi omnem Creaturam, etiam poſſibilem, in poſſeſſionem, & divitias donaſſet: Unus enim ac ſolus, ac nudus Deus, major, pretioſior, locupletior, & ad locupletandum eum à quo poſſideretur, (maximè ſi Maternè & generatoriè poſſideretur,) aptior, & amplior eſt: quàm omnes Creaturæ ſimul poſſeſſæ, & hereditatæ.

6. Per hoc etiam; plus contulit MARIÆ Matri ſuæ, Deus Filius: quàm ulli; imò, quàm omnibus ſimul Creaturis contulit, aut conferre poſſit: propter eandem modò dictam cauſam; quia ſcilicet unicus, ſolusque Deus, eſt omnibus rebus reliquis major, pretioſiorque: unde quando ſe unicum MARIÆ dedit, præſertim in Filium, plus ei dedit, quàm ulli creaturæ, aut etiam ſimul omni dedit, darevè potuit.

7. Per hoc etiam, quòd MARIAM in ſuam Matrem accepit, fecit eam ſuam Cauſam, ſuumque Principium, & Exiſtentiæ ſuæ Theandricæ originem, ac fontem. Conceptus enim ex eâ, ſive de ejus ſubſtantiâ: formatusque ex eâ, & ſimul ab eâ, natus quoque, & in mundum editus, genitusque eſt ex ipsâ: deinde etiam lactatus & nutritus, & ad incrementum congruum perductus ab ipsâ: ob quod, plus ab unâ ſolâque ſuâ genitrice MARIA accepit, & plus ab eâ, ex eâque habet ſubſtantiæ, quæque ſubſtantiam conſequuntur, quàm ab ullâ creaturâ. Ob quod etiam, nulli creaturæ ampliùs debet Deus Homo, quam uni MARIÆ Matri ſuæ. Neque ab ullâ creaturâ quidquam pretioſius, ac ſe dignius accepit,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cepit, quàm à Matre ſuâ Mariâ. Accepit enim ſe totum, Deum ſcilicet ac Hominem: quo in Chriſto nihil eſt pretioſius; accepit autem generatoriè, quo in Mariâ nihil eſt item pretioſius atque dignius: Itaque Chriſtus, quâ DEUS & Verbum, eſt ex Patre modo generatorio: quâ Deus Homo eſt, non eſt ex Patre modo generatorio. Idem Chriſtus de Spiritu quidem Sancto conceptus eſt DEUS Homo, ſed non ex ſubſtantiâ Sancti Spiritûs, neque modo generatorio: at verò ex Mariæ Virginis utero, ſanguine, & ſubſtantiâ, genitus, conceptus, factus eſt Deus Homo, generatorio modo, & tanquam verus Filius.

8. Ergo in unâ ſolâque Virgine Mariâ, plus eſt ex DEO, quàm in ullâ, & omni ſimul creaturâ: Itemque ex unâ, ſolâque Virgine Maria, plus eſt in Deo, quàm ex ullâ, ſimulque omni creaturâ, & longè in immenſum excellentius eſt, & MARIA DEI, & DEUS MARIÆ; quàm ulla creatura, Dei eſt, & quàm ullius Creaturæ Deus eſt.

9. Ideo totâ ſubſtantiâ tuâ: omnibusque viribus tuis atque viſceribus cordis & corporis, æſtimabis, exaltabis, appretiabis, & glorificabis, amabisque pretioſiſſimam hanc Dei Matrem, atque Virginem, ſuper omes res, quæcunque infra Deum ſunt: gratulaberisque eidem P. Parenti hanc tantam DEI profuſionem ſuper eam, hanc tantam exaltationem ejus à DEO, per Deum, & ex ipſo Deo.

## *PRAXIS.*

PRetioſiſſima DEI mei Mater MARIA: *te ego totis viribus, & viſceribus, ſubſtantiæ, capacitatis-*

*citatiſque meæ, diligo, cunctiſque rebus plus æſtimo, quæcunque Deus non ſunt: ſed Te uni, ſolique ſecundam Deo, uno ſolo minorem Deo, agnoſco, & confiteor, & veneror. Etenim in ſolâ te plus DEI eſt: & ex ſola te, plus in Deo eſt, quàm ex omnibus, quàm in omnibus Creaturis. Propter quod, meritò chariſſima, & pretioſiſſima, & es ipſi Deo, & es pretioſior, amabilior, inæſtimabiliorque omnibus ſimul creaturis.*

# EXERCITIUM IV.

## *De P. Parente, naturali Dei ſicut Matre, ita & Amatrice.*

1. STatue te coram pretioſiſſimâ Parente Virgine Maria.

2. Expende eam eſſe veram, naturalemque DEI Hominis Chriſti JEſu Matrem.

3. Expendes, per hoc eam naturale jus habere ad Amorem, amicitiamque Dei: hoc eſt: ad diligendum Deum, & ad diligendum à Deo. Naturali quippe jure, & naturæ ductu amat, amareque debet Deum, utpote filium: & amatur viciſſim naturæ debito, atque exigentia à Deo, tanquam à Filio.

4. Amat quidem, & amare debet naturaliter etiam omnis Dei Creatura Deum: amaturque item à ſuo Creatore. Nam Deus nihil odit eorum, quæ ipſe fecit: eſt tamen infinitum diſcrimen, inter eam naturalitatem, quâ creaturâ obligatur ad Deum Creatorem amandum, quâque à Deo amatur: & inter eam naturalitatem, quâ Deum Maria diligit, & à Deo diligitur. Illa ſiquidem naturalitas Creaturarum ad DEUM

amandum, eſt tantùm modò ſervilis, manans ex eo, quia Creatura, creata eſt Deo, & accepit ab ipſo, tum ipſam ſe, ſuumque eſſe, tum reliqua bona ad hoc conſequentia: propter quod tenetur debito amandi, colendi, honorandi, obediendi, ſerviendique in omnibus Deo, ut authori, factori, benefactori, Dominoque ſuo abſoluto. At verò naturalitas, quâ Maria ſtringitur, duciturque ad amandum Deum: eſt naturalitas Principiationis, Originis, Maternitatis, & Maternæ, generatoriæque cauſationis, ac productionis, quâ Maria Deum filium genuit, eique eſſe, de ſuâ ſubſtantiâ, ut Mater Filio Deo dedit. Qualis naturalitas ad Deum amandum in nullâ penitus eſſe Creaturâ. Et idem eſt dicendum de naturalitate quâ Creaturas amat Deus, quâque amat Mariam. Creaturas enim amat Deus, ut Conditor opera ſua, ut effectus omnipotentiæ ſuæ, ut participationes aliquantulas bonitatis ſuæ. Omnis enim factor, & auctor amat opera ſua: maximè, quando Dei perfecta ſunt opera. At verò Deus Mariam amat, ut Filius Matrem, ut proles Genitricem, ut opus Auctricem ſuam: qui fons amoris ſupremus eſt inter omnes amoris origines, & obligationes. Quare uni & ſoli Mariæ dicit Deus: Mater mea es tu: & una, ſolaque Maria, ex Creaturis, dicit Deo: Filius meus es tu.

5. Quamvis autem, Mariæ in Deum filium, amor ſit naturalis, quippe ex fonte Maternitatis connaturaliter fluens: idem nihilominus amor, eſt etiam ſupernaturalis: (niſi dicere libeat, quòd in ſuâ naturalitate, ſit quovis alio creato ſupernaturali amore in Deum, eo ipſo excellen-
tior,

tior, quòd naturalior) ſicut etiam Maternitas ejus, eſt ita naturalis, ut ſit nihilominus ſupernaturalis: ſupra omnem enim naturam eſt, quòd Maria ſit Mater Dei, licet naturaliſſima ſit Mater, & verè naturaliſſimam Humanitatem Filii Dei, ex ſanguine, ac ſubſtantiâ ſuâ, maternâ operatione, cooperante Sancto Spiritu, concepit, formavit, genuit, educavit, enutrivit, conſequenterque amavit, & complexa eſt.

6. Ex hoc tanto, tamque admirabili jure amandi Deum, & amandi à Deo, habet quoque Maria, jus quoddam ſibi peculiare, atque proprium, quod ſicut ipſa Deum amat, amaturque ab eo, ita alios etiam, potiſſimùm amatores, cultores, clientesque ſuos, jure ſuo deducit ad amandum Deum, & ad amandum à Deo: ad collocandum eos in gratiâ, in amicitiâ, & familiaritate, atque unione Dei: neque ad collocandum ſolùm, ſed etiam, ad conſervandum, ad confirmandum, ad excellendum in eâ.

7. Quia enim maternitas DEI, fons eſt in Maria, naturalis amoris Divini, quo, & amat illa Deum, & amatur à Deo: & amoris erga Deum magna portio eſt, dare operam omnem, ut etiam ab aliis ametur Deus: inde eſt, quòd ad amorem Mariæ maternum erga Deum, pertineat, à Maria deduci alios quoque, ac in his nominatim ſpeciales amatores ſuos, ad amandum Deum, manendumque, & perſeverandum, cum inſigni incremento in amore, & amicitiâ, & gratiâ Dei.

8. Pari ratione: quoniam Deus, ut filius, naturaliter amat Mariam Matrem ſuam; pertinet ad hunc ejus, in ipſam amorem, facere: ut etiam ab aliis quàm plurimis, quàm impenſiſſimè ametur,

tur, & colatur: inde eſt, quòd Deus plurimis inſpiret, & veluti ingeneret, in viſceretque amorem erga Mariam: eosque in ejus amore, affectu, & cultu, mirificè, atque omnino magnificè conſtituat, conſervet, atque confirmet: opulentosque ac prædivites faciat.

9. Inde quoque eſt: quòd Maximum ſit ſignum prædeſtinationis ad vitam, non raro etiam Confirmationis in gratiâ Divinâ: Medium quoque ſalutis, quin & excellentis ſanctitatis, donorumque Divinorum ubertatis; Mariæ Matri Dei, eſſe ſingulariter devotum, ejusdem Amoris & Honoris, atque Imitationis, ardenter ſtudioſum.

10. Inde quoque eſt, quòd Amatores, Clientesque Mariæ, in cælo peculiari quâdam veluti Laureolâ, hoc nomine donentur, inſignesque inter cæteros Beatos ſint: quia eximiè inſignes fuerunt in hac Vita; in Dilectione, & veneratione, imitationeque Dei Matris Mariæ.

11. Et hoc eſt illud: quod Eccleſia, optima ſensûs Divini in Scripturis interpres, de Mariâ dictum (poſt Æternam Sapientiam) affirmat.

*Eccl. 24. 16.* *In his omnibus requiem quæſivi, & in Hereditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: & dixit mihi: In Jacob inhabita, & in Iſraël hereditare, & in Electis meis mitte radices, & in habitatione ſanctâ coram ipſo miniſtravi. Et ſic in Sion firmata ſum, & in Civitate ſanctâ ſimiliter requievi, & in Hieruſalem poteſtas mea: & radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ Spei. In me gratia omnis Viæ & veri-*

*veritatis: in me omnis Spes Vitæ, & Virtutis. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & Hereditas mea ſuper mel, & favum. Qui audit me non confundetur: & qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me: vitam æternam habebunt.* Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio Veritatis. Non ſinit, hoc loco, fuſiori accommodatione declarare; quomodo hæc Mariæ Dei Matri, ejusque erga ſuos Amatores, & Clientes, effectui, & curæ, ad amuſſim, etiam ex mente Eccleſiæ ſerviant: Non (inquam) ſinit præſens ſcribendi modus: ſed ea facillimè quisque propoſito applicare, atque ex illis fructum, ſuccumque devotiſſimæ in Dei Matrem, tum dilectionis, tum pietatis, ac devotionis haurire poterit.

12. Interea, cum unusquisque noſtrûm, nec poſſit, nec debeat quidquam ardentiùs deſiderare, quàm Gratiam, Amorem, Amicitiam, familiaritatem, unionemque Divinam, radicatam, confirmatam, opulentam, æternam: in quâ ad collocandum nos, Maria, Matris potitur jure, & Maternâ gaudet autoritate: supereſt, ut totis deſideriorum, viſcerumque ſuorum viribus, ac præcordiis, quisque noſtrûm ſupplicet huic Pretioſiſſimæ Matri Gratiæ, Amicitiæque Dei arbitræ, atque theſaurariæ, ut iſto ſuo Jure nobiscum utatur: introducatque in nos Amorem, Amicitiam, Gratiam, familiaritatem, unionemque Dei Filii ſui, ac nos in eâ fundet, radicet, confirmet, opulentetque usque ad Mortem: quin & poſt Mortem, usque ad ipſam, & per

ipſam æternitatem. Ut non ſolùm nunquam excidamus à Gratiâ, & à charitate Dei, verùm etiam in dies, horas, & momenta ſingula, ampliùs, ampliùsque in eâ creſcamus, ac diteſcamus, per graviſſimam interceſſionem, atque adeo poteſtatem, hujus Pretioſiſſimæ Parentis noſtræ, fundatricisque in ſtatu ac poſſeſſione amicitiæ Divinæ.

### PRAXIS.

*Pretioſiſſima Mater Dei mei, Domina mea, Virgo Maria; Tu, ſicut ipſa es veriſſima Dei Mater, ſic etiam veriſſimum ac Naturale jus habes ad Amorem, ad Gratiam, Amicitiamque Dei. Tu Claves portas à Corde Divino. Tu præſides theſauris Amicitiæ, & Gratiæ Dei. Tu quem vis Amicum Dei conſtitutis, ejusque Gratiâ adimples, & ditas, & in Amore Divino fundas, confirmasque. O Mater, & Patrona mea: utere hoc jure mecum, & ſuper me, & ſuper omnes tuos in me, meosque in te. Introduc nos ad Amorem, Amicitiamque Filii tui, Dei noſtri: Funda & confirma: ſtabili, & radica nos in gratiâ, & familiaritate ipſius ut ab eâ nunquam excidamus, imò in eâ ſemper ampliùs, ampliùsque proficiamus, perficiamur, confirmemur, ſolidemurque, ad Mortem, & in Morte, & in omnem æternitatem.*

## EXERCITIUM V.

### *Quòd P. Parens ſit omnium Creaturarum eminentiſſima.*

1. Statue te coram Pretioſiſſimâ Dei Parente Virgine Maria.

2. Expende: quòd Maria ſit Mater Dei Altiſſimi,

tiſſimi, ac per hoc ſuper omnes, ſimul ſumptas, etiam poſſibiles, puras Creaturas, digniſſima, exaltatiſſima, eminentiſſima.

3. Maria enim quoniam Mater Dei eſt: facta per hoc eſt ille mons, ab Iſaiâ decantatus; *Erit in* *Mich.* 4. 1. *noviſſimis diebus, præparatus Mons Domûs Domini in vertice Montium.* Mons enim Beatiſſima Virgo & Mater Maria fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. Mons, & quidem præ omnibus ſublimis fuit Maria: quæ ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſuprà omnes etiam Angelorum Choros, usque ad ſolium Deitatis erexit. Mons fuit Maria, & quidem ſupra verticem Montium, quia præcellentiſſimæ dignitatis ſuæ merito, ejus altitudo ſuprà omnes Sanctos refulſit. Mons fuit Maria, omnibus creatis montibus, ſeu Dignitatibus altior: quia ubi cæteræ Dignitates ſummitatem ſuam tenuerunt: ibi Mariæ primâ, & ima fundamenta per ſingularitatem Gratiæ facta eſſe noſcuntur: dicente alio Propheta; *Fundamenta ejus in montibus Sanctis.* Denique Mons fuit omnibus montibus, id eſt, omnium Creaturarum generibus altior, Maria: quia maternitatis Divinæ prærogativâ, omnibus omnino creaturis acceſſum ad ſe, & ad æqualitatem ſuam penitùs ſpem omnem præcluſit: ſuamque ſuper illas poteſtatem extulit, ac firmavit.

4. Igitur propter hanc Altitudinem, debetur Mariæ, ab omni Creaturâ, & Generatione, omnis ſupremus, qui in Creaturam puram cadat honor, laus omnis, omnis etiam appretiatio, reverentia,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dilectio, & ſubjectio: tanquam illi, quæ eſt Mater conditoris, & Domini omnium rerum: eſtque proinde etiam ipſa Heres, Domina, & Regina omnium iſtorum Dei Filii ſui bonorum. Pertinent ſiquidem omnia bona filiorum ad Parentes eorum, nec quidquam acquirunt ſibi Filii, quod ſimul juri parentum eo ipſo non accedat: præſertim; ſi quid à Naturâ filii obtineant: quando Mariæ Virginis Filius, Dominus JEſus Chriſtus, Deus Homo, ex ipſâ ſuâ Naturâ, & ab Unione Hypoſtaticâ, abſolutum rerum omnium Regnum, Dominiumque ſortitus eſt. Inde enim hoc ipſum Dominium, atque Regnum, Matri ejus Mariæ acceſſit. Cur enim Parentes & Filii una cenſentur Caro, & non tam pars ejusdem, quàm prorſus eadem ſubſtantia; & cur bona dignitatesque Naturales parentum, ſunt etiam Filiorum; ſi non bona, dignitates, Dominia, & Regna filiorum, cadunt etiam, naturaliter ſub ſortem parentum?

5. Sicut ergo Dei Filius, idemque Mariæ Virginis Matris proles, naturâ, ſuâ, & præeſt, & eminet omnibus Creaturis, quantumlibet ſublimibus, atque etiam ſupernaturalibus; ita quoque eodem Filii ſui jure, Maria eſt omnium Creaturarum, naturalium, ſupernaturaliumque, & ſuperior, & præeminentior, & præſes, & Domina. Idque ab ipſo primo Conceptionis ſuæ inſtanti, quo ipſa in hunc mundum concepta eſt. Etſi enim nonniſi propter Divinam Maternitatem, hæc tam ſublimis Altitudinis, Dominiique in res omnes prærogativa illi advenit: quia tamen Juſtitia Originalis illi in Conceptione ſtatim collata fuit, & fuit per reſpectum, & propter honorem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

norem Divinæ Maternitatis, ad quam jam tunc (imò ab Æterno) Electa, præparata, prædeſtinataque fuit, juxta illud ipſiusmet de ſe Virginis verba; *Ab æterno ordinata ſum*, (quæ ex Hebr. ſic ſonat;) *ab æterno inaugurata ſum princeps:* Ideo jam tunc etiam ſtatim Domina fuit omnium: & eminuit ſuper omnia opera Dei, ſuperque univerſa bona Filii ſui. Prov. 8. 23.

6. Ex hoc fonte promanavit, quòd Maria, poſt Chriſtum, fuerit ſecundò primus finis, ſcopusque Deo univerſæ Creationis. Quòd una ſolaque Maria, dignior, & pretioſior fuerit coram Deo omnibus univerſim Creaturis. Quòd ad Unius, ſoliusque Mariæ conditionem, atque in eſſe ſuo conſummationem, plus bonorum, donorumque, & (ſi fas dicere) Sapientiæ, bonitatis, potentiæ, Sanctitatis, Perfectionisque ſuæ ſumptuum Deus profudit, quàm in omnes reſiduas Creaturas. Inde quoque eſt, quod uni, ſolique Mariæ, plus creaturæ honoris, ſubjectionis, ſervitii, & dilectionis debeat; quàm vel ipſæ ſibi, vel aliis aliæ mutuo: debentque juſte, ac meritò velle, ac eſſe paratæ, (ſi ita res exigat,) ob unam, ſolamque Mariam Dei Matrem conſervandam, emori: aut interire: ſiquidem bene redimeretur ſalus ſolius Mariæ, morte totius Creaturarum populi. Quoniam majus eſſet damnum toti Mundo, ex unius Mariæ jacturâ, quàm ex totius Mundi interitu.

7. Hinc agnoſce: majori jure, obligatione, condignitate, debere (Te v. g.) honorare, diligere, exaltare, zelare, unam, ſolamque hanc Dei Matrem, majoresque vires, conatus, ſumptûsque, in ejus cultum, & venerationem impendere,

quàm

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quàm in totius, cujuscunque, etiam ſimul ſumptæ, puræ creaturæ,

8. Hâc menſurâ, metire tuum erga Parentem hanc Pretioſiſſimam affectum dilectionis, venerationis, honorificationis, pietatis, zelationis. Et vide, quàm procul abſis ab hujus menſuræ exæquatione! vide, quàm profuſo, prodigoque in honorem, & amorem hujus Dei Matris eſſe debeas animo: vide, quàm magnificus ejus in corde tuo, & per tuam Curam, & in alienis cordibus, operibusque, debeat eſſe, hujus Virginis Amor, ac veneratio, atque exaltatio?

9. Emineat apud te in amore: in pietate, in honore, & in veneratione: ita, ſicut revera eminet ipſa in Dignitate, in excellentiâ, in pretioſitate, in Poteſtate. Eminet illa poteſtate, atque Dominio ſuper omnes ac ſingulos Angelos: ſatagas & tu eminere in affectu dilectionis, & venerationis erga illam, ſuper omnes, ſingulosque Angelos. Eminet illa in poteſtate atque Dominio ſuper omnes, ſingulosque homines: ſatagas & tu eminere in pietate, & honore, amorisque teneritudine, & vehementiâ erga illam, ſuper omnes, & ſingulos homines. Eminet illa, poteſtate, & Dominio ſuper omnes, ſingulasque Creaturas rationis expertes: ſatagas & tu, non ſolùm eminere, ſed etiam vicem, officiumque, in cultu, amore, & ſubjectione ad Mariam, implere, ac ſuperimplere, omnium, ſingularumque Creaturarum irrationalium. Eminet Maria poteſtate, & Dominio, terroreque ſui, ſuper omnes dæmones, de quibus omnibus, cum, in Triumphatore Filio triumphavit, omnium capita in primo ſuæ Immaculatiſſimæ Conceptionis momento,

to, victore Calcaneo contrivit, & conquaſſavit: ſatagas & tu, officio, obſequioque, quo, debent quidem, at indigniſſimi ſunt, amoris & appretiationis defungi dæmones, illorum vice, erga victorioſiſſimam, Triumphatriciſſimamque Virginem excellere: in tantùm eam ſuper omnia draconum infernalium Capita ſuperponendo, ac ſuperexaltando, in quantùm prædigna eſt, tam Dei Mater extolli, exaltarique, quàm digni deprimi, ac dejici.

## *PRAXIS.*

*PRetioſiſſima Dei Mater Mariâ: in conſpectu Sanctiſſimæ Trinitatis, nec non Filii tui, JEſu Chriſti, Redemptoris noſtri, confiteor, tantam eſſe tuam, ſuper omnes creaturas, eminentiam, potentiam, atque dignitatem, ut uni tantùm Deo ſecunda, ſoloque illo minor ſis: utque ad tui unius, ſoliusque, in eſſe, & honore conſervationem, ac propugnationem, merito omnis creaturâ, ſuum eſſe, ſuam integritatem, ſuum honorem, impendere poſſit, atque debeat. Tu enim una ſola pretioſior, ac dignior, eminentiorque es, præ omnibus creaturis coram Deo. In tuo, Maria, nomine, flectitur omne genu Angelorum: omne genu hominum: omne genu creaturarum irrationalium, omne genu dæmonum. Ea propter & ego, viliſſima quamvis portio creaturæ Filii tui, tuo amori, appretiationi, honori, integritati, exaltationi, totam ſubſtantiam meam, totas vires, totos conatûs, omnem dignitatem, omnem ſufficientiam meam, etiam omnis reliquæ creaturæ, totiusque univerſæ ad me imperſonatione auctam, communicatam, aſſociatamque conſecro: atque illi propagando, propugnando, tam in maximo, quàm in minimo adaugendo, dedico, devoveo-*

*veoque; ſolus, unusque: ſed omnium creaturarum imperſonatione auctus, omnium earum vicem, officium, debitum, conatum, deſiderium, voluntatisque affectum explendo, & etiam evincendo, evincereque, ac ſupergredi, adverſum Te, intendendo: propter amorem tui, propter amorem Filii tui, Dei mei, JEſu Chriſti.*

# EXERCITIUM VI.

## *Quòd per P. Parentem, maximè Deus magnificetur.*

1. STatue te coram pretioſiſſimâ Dei Parente & Virgine Maria.

2. Expende: quòd in Maria, & ex Maria eluceſcat maximè Divina Magnitudo, Perfectio, Plenitudo: quodque ab eâ, plus quàm ab omnibus reliquis creaturis ſimul ſumptis magnificetur.

3. Qua de cauſa P. Parens, cùm eſſet præ omnibus humillima; etiam præ omnibus hunc titulum uſurpavit: & hanc ſibi occupationem potiſſimam ſemper adſcivit: ut ſeſe quidem ſemper, quàm intimiſſimè exinaniret, ac infrà omnes creaturas, imò & propè infrà ipſum nihilum humiliaret: Deum autem ſuum, quàm viſcerosiſſimè magnificaret: hoc eſt, magnum non ſolùm oſtenderet, verùm etiam conatu ſuo redderet, plus, quàm omnes ſimul collectæ creaturæ, etiam poſſibiles hoc faciunt, aut facere poſſunt.

4. Quia enim, ad hoc unicum omnes à Deo creaturæ conditæ ſunt, ut per eas magnalia Dei, hoc eſt, magnitudo ejus, & perfectiones ejus, cogno-

cognoſcerentur, juxta illud Pſalmi; *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, quod ipſum affirmari poteſt, imò debet, de omnibus reliquis creaturis, tanquam & ipſis gloriam Dei enarrantibus, ſicut univerſaliter dixit Apoſtolus: *Inviſibilia Dei à creaturâ mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas:* inde neceſſariò ſequitur, ut quantò aliqua eſt creatura nobilior, atque perfectior, tantò plus in eâ magnitudinis & excellentiæ Divinæ eluceat, & ex eâ cognoſcatur: quomodo plus cognoſcitur Magnificentia Dei ex Homine, quàm ex lapide: ex Angelo plus quam ex Homine; ex Angelo ſuperiore quàm ex Angelo inferiore: quia ex perfectiori effectu aut opere, perfectiùs cauſa, ſeu artifex cognoſcitur.

*Pſ. 18.*

*Rom. 1.21*

5. Et quia conſtat, ex omnibus puris creaturis, nullam à Deo eſſe conditam perfectiorem, & omni donorum genere ſublimiùs ornatiorem, quam Dei Matrem Mariam: inde quoque conſtare debet, plus in unâ, & ex unâ Maria, Dei eſſentiam, dignitatem, perfectionem, omnesque alias magnitudines eluceſcere, ampliùsque ex illâ unâ ac ſolâ cognoſci, quàm ex omnibus, etiam ſimul collectis creaturis.

6. Si particulatim conſiderare lubet; in Deo noſtro, maximè magna eſt Trinitas Perſonarum in unitate eſſentiæ, deinde Sapientia, Potentia, Charitas, Miſericordia, Bonitas, & Juſtitia: atqui indubium eſt, neque in ullâ particulari creaturâ, neque in omnibus ſimul, hæc ſupra dictaDei bona, plus eluceſcere, neque per ullam manifeſtari, quàm in unâ, & ex unâ ſolâ Dei Matre, ac

Virgine Maria: Igitur evidens eſt, à ſolâ Maria excellentiùs Deum magnificari, & ex ſolius Mariæ cognitione ampliùs magnitudinem Dei cognoſci, quàm ex ullis etiam ſimul omnibus creaturis.

7. Advertere autem & expendere licet: cogitari poſſe, dupliciter magnificationem Dei poſſe fieri. Primò quidem in ſe, hoc eſt in ipſo Deo, ita ut Deus, vel in ſuâ Eſſentiâ, ac Entitate, vel in ſuâ aliquâ perfectione major fiat, quàm fuit. Et hic modus, Deum, ipſo ſe, magnificandi; abſurdus eſt etiam cogitatu. Abſurdum eſt enim Deum in ſeipſo, quocunque modo majorem fieri poſſe, non tantùm à creaturis, ſed etiam à ſemetipſo. Cùm Deus, quidquid eſt, id ab æterno ſit: actus purus, omnis expers potentialitatis, poſſibilitatis, mutationis, augmenti, imminutionis: utpote ens à ſe, illimitatum in eſſentiâ, & entitate, & quâcunque perfectione. Quâ de re, ſicut nullum dubium eſſe debet, ſic neque pluribus agere opus eſt.

8. Eſt alius magnificandi Deum modus, in nobis nimirum, ſeu in creaturis, à creaturis, coram creaturis. Hoc modo, Deus magnificari in nobis, & à nobis, ſeu per nos, non tantùm poteſt, ſed etiam debet: in eoque labore omnis noſtra ſalus, perfectio, & beatitudo, ſita eſt: ut omni vitæ & actionis noſtræ cujusque momento, expleamus illud Davidicum; *Et exaltetur*
Pſ. 17. 47. *Deus ſalutis meæ:* itemque illud ejusdem; *Ma-*
Pſ. 33. 4. *gnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.*

9. Iſte magnificandi Deum modus, in nobis vel à nobis, ſive fiat à Deo, ſive fiat à nobis, unus

& idem

&idem eſt: quia quidquid nos in hoc genere, vel opere facimus, ex Deo, & ex ejus munere facimus: unde neceſſe eſt, ut in unum idemque recidat, ſive à ſe Deus, ſive à nobis Deus, magnificetur in nobis.

10. Hoc porrò trifariam fieri, & poteſt, & debet, & ſolet. 1. Quando Deus ampliùs & ampliùs cognoſcitur, ex, aut in aliquâ creaturâ, operevè creaturæ, ſeu opere creatoris per creaturam, aut in creaturâ. 2. Quando creatura rationalis, v. g. Homo, in ſuâ Animâ facit Deum majorem, & majorem, id eſt, quando Animam ſuam reddit Deo magis ac magis ſimilem; perfectiusque, ac perfectiùs facit in eâ eluceſcere Dei, perfectionumque, ac Virtutum, & Sanctitatis ejus imaginem. 3. Quando Creatura in aliis, quoque Creaturis (capacibus, ſeu rationalibus) Deum, ejusque notitiam, ac ſanctitatis, perfectionisque ſimilitudinem, labore ſuo, cum auxilio divino, facit amplius, & amplius, perfectiusque, ac perfectiùs florere, creſcere, exundare: cognitione, dilectione, gratiarum actione, prædicatione, denique Sanctiſſimæ Dei voluntatis per omnia executione, atque imitatione.

11. Hic magnificandi Deum modus in ſolâ unâque Dei Matre Maria plus enituit, plus ab eâ ſolâ, unâque exercitus eſt, & exercetur perenniter, plus quoque per illam ſolam, & unam, à Deo exercitus eſt, quàm per ullam, quàm per omnem ſimul collectim ſumptam creaturam. Plus enim in illâ ſolâ perfectionum, quia & entitatis ſuæ repoſuit, per illamque nobis manifeſtavit, quàm in ullâ, quàm per ullam creaturam; prout ſupra dictum eſt. Plus etiam illa ſola divinæ in ſe

Sanctitatis, & Gratiæ, Virtutum, ac Perfectionum, in ſuam Animam collegit, congeſſitque, nobiliusque, ac perfectiùs Imaginem Dei, in ſuâ Animâ reſplendere fecit, quàm ullæ etiam ſimul omnes creaturæ. Propter quod illi juſtiſſime
**Prov. 31. 29.** dicitur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, ſed tu ſupergreſſa es univerſas.* Plus etiam una ac ſola Maria, circa augmentandam in Angelis, & (maximè) Hominibus, Dei gloriam, cognitionem, dilectionem, fruitionem, ac poſſeſſionem, laboris, & operæ, charitatis, & curæ orationum & meritorum, ſubſtantiæ denique contulit, & confert; quàm ullæ, ſimulque omnes creaturæ: quare illa meritò dicit. *Magnificat Anima mea Dominum.*

12. Ergo magnitudo Dei, glorificatioque, & exaltatio illius, relucet in Maria pleniſſime: tum quia fecit ſe ex illa, & ex ejus ſubſtantiâ, qui fecit illam: & novem menſibus requievit in tabernaculo uteri ejus: tum quia illa fuit omnibus modis, numerisque abſolutiſſima Imago Dei, maximarumque perfectionum ejus: ita ut eâ ſolâ cognitâ, ampliùs perfectiusque cognoſcatur Deus, quàm cognitis omnibus reliquis creaturis: tum quia ſola Maria ad operationem, executionemque ſalutis humanæ, ad Beatificationem quoque omnis rationalis creaturæ, ad converſionem, & reconciliationem cum Deo peccatorum, adjuſtificationem electorum, ad ſolatium & eliberationem ex purgatorio Animarum, ad Dei à Creaturâ ſuâ beatificam poſſeſſionem, atque glorificationem, plus contulit, & confert jugiter, quàm ullæ Creaturæ: tum denique, quia dum nos, vel amamus, exaltamusque Mariam, vel pro eâ, in

in eâque Deum exaltamus, vel pro collatis in illam à Deo ineffabilibus, ſoloque Deo inferioribus, ac ſolâ Dei Matre dignis, Deique maternitati congruis gratiis, Deo gratias agimus: vel virtutem ejus quamcunque amando imitamur, imitandove amamus: vel gloriam ejus, cultum, venerationem, amorem, notitiam, imitationem. in alios propagamus, vel ejus laboribus, obſequiis, compaſſionibus, cæteriſque erga ſuum Filium in hâc vitâ obitis miniſteriis, honorem habemus: vel gloriæ ipſius, poteſtatique, ac majeſtati, quâ ſuper omnes in cælo, & terrâ, præeminet, adgaudemus, & applaudimus: vel ad illam, perque illam, ad Deum, in neceſſitatibus noſtris, externis, internisvé, temporalibus, aut æternis confugimus, opemque ejus expoſcimus: dum inquam hæc erga Mariam, unam, & ſolam, obſequia peragimus; plus Deum exaltamus, & magnificamus: quàm cùm ſimilibus officiis, erga quoscunque alios, aut erga omnes ſimul electos, proximosvè noſtros defungimur.

13. Sicut Maria amando Deum, ſola, & una, amore ſuo Deum exaltavit magnificavitque, plus quàm omnes reliquæ creaturæ ſimul, univerſis amoribus ſuis, Deum & amant, & exaltant; Ita & nos, ſi ſolam, & unam Mariam, inque unâ, & ſolâ Maria, DEUM amamus; plus hoc ſolo Amore ſolius Mariæ, Deum diligimus, & magnificamus; quàm ſi eundem omnium ſimul ſanctorum, creaturarumvè amoribus amemus. Sicut Maria, ſuâ unius erga Deum, ac propter Deum humilitate, plus extulit, magnificavitque Deum, quàm creaturæ omnes, omnibus ſuis propter Deum, & coram DEO humilitatibus:

 ita

ita nos humilitatem ſolius Mariæ amando, & imitando, illamque Deo propter Mariam, & per Mariam exhibendo, ampliùs Deum exaltamus, magnificamusque: & cor tam ejus, quàm Matris ejus exhibitione talis humilitatis exhilaramus: quaſi omnium reliquarum creaturarum humilitates amaremus, æmularemur, Deoque exhiberemus. Atque idem eſto judicium de reliquarum Mariæ virtutum, & in ſe, & erga Deum amplitudine, & à nobis amore, & æmulatione, divinoque guſtui exhibitione.

14. Ex his ſatis ediſcere poſſumus: quantùm Deo pro Maria, unâ licèt, ſolaque debemus: quantùm in ejus unius, ſoliusque cognitione, amore, imitatione, occupari, proficere, conquieſcere debemus: quantùm ejus unius ſoliusque laudibus incumbere, in agendas gratias effundi; quantùm illam, & propter ejus coram Deo excellentiam, & propter Dei per ſeipſam & ab ipsâ magnificationem, amare, exultare, gratulari, complacere, complectique merito tenemur: quantùm denique in illa; ſpei, fiduciæ, ſecuritatisque noſtræ, poſt Filium ejus Deum, collocare, & inconcuſsè tenere debemus.

## PRAXIS.

*O Magnificatrix, & ipſiſſima Magnificentia DEI MARIA: cujus magnificatione, ſive quâ ille te, ſive quâ tu illum, ſive quâ te in illo nos, ſive quâ in te nos ipſum magnificamus, plus, & ampliùs, & dignius, ille magnificetur, quàm magnificatione quacunque quarumcunque reliquarum creaturarum. Gratulor, gratulor, gratulor tibi, toto me, totam iſtam Dei in te, tuam in Deo magnificationem, atque magni-*

*magnificentiam. Deſidero, ſimulque à Te, & à Deo per Te, ſubmiſſiſſime, reverentiſſimè, & anheloſiſſime peto: ut me quam perfectiſſimâ Tui, & per Te Dei, adimpleas cognitione, dilectione, æſtimatione, exaltatione, imitatione, fruitione. Da mihi: ut ad inſtar Tui, ego etiam (cum omnibus his quos ego in te, quos tu in me, qui me ratione tui, qui Te ratione mei, ſingulariter appretiare gaudent, aut unquam gaudebunt) ſemper, ubique, toto me; fiam tua, fiam Dei, magnificatio atque magnificentia. Magnificem te, & Deum, magnificatione omnium Creaturarum. Magnificem te, & Deum, Filium tuum magnificatione quâ te Deus Filius ut Matrem, & quâ tu Deum Filium tuum, ut Mater magnificas. Magnificem te, & Deum, magnificatione quâ te Sanctiſſima Trinitas unus Deus magnificat: & qua tu viciſſim Sanctiſſimam Trinitatem, unum Deum, magnificas, ut ſemper tuo ſpiritu, tibi, & tecum cantem; Magnificat Anima mea Dominum.*

# EXERCITIUM VII.

*Quòd Deus plus amet ſolam Mariam, quam totam Eccleſiam, rerumque univerſitatem, ſeclusâ MARIA.*

1. STatue te coram pretioſiſſimâ Parente MARIA.

2. Expende: plus à Deo ſolam, unamque Mariam diligi, quàm totam vel Eccleſiam, vel etiam creaturam, ſeclusâ ex ejus numero ipsâ Virgine Matre Maria.

1. Quia majori eam donavit, ornavitque gratiæ ſanctificantis abundantiâ, quam omnes ſimul collectos Angelos, atque homines. Crea-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

turæ expertes rationis hic locum non habent, ob incapacitatem ſuam.

2. Quia eidem Virgini Mariæ præſtantiùs, ſingulariùs, plenius ſeſe communicavit Deus, quàm omnibus ſimul ſumptis creaturis. Etenim ei communicavit præter dona gratiæ, etiam ſubſtantiam, entitatem, Perſonamque ſuam divinam: & quidem in Filiationem, ſeu in Filium: faciens ſe concipi in ejus utero, ex ejus ſelecto ſanguine, habitans intra ejus intemerata viſcera novem menſibus, omnibusque ejus maternis obſequiis, tam ante Nativitatem, quàm poſt eandem, fotus, nutritus, lactatus, educatus. Ex quo, Maria, inſigne & nulli creaturæ communicabile Nomen hereditavit. Cui enim Angelorum, aut Hominum dicit Deus, Mater mea es Tu: aut quæ creatura dicit Deo: Filius meus es Tu, Ego genui Te.

3. Quia ejusdem Mariæ Virginis redemptio primùm, & primariè, præcipuèque, ac plus, magisque, diſpoſita, ac intenta à Deo fuit, quàm omnium reliquorum ſimul ſumptorum hominum. Eſtque Maria principalis, & major fructus Redemptionis Chriſti, quam totum genus humanum: ac, ſi alterutrius tantùm Redemptio Chriſto fuiſſet propoſita curanda; vel ſcilicet ſolius Mariæ ſine cæteris hominibus, vel cæterorum hominum tantùm absque Maria; prælegiſſet Chriſtus ſolam Mariam redimere: cæteros autem homines negligere. Propter quod Maria, eſt princeps redemptionis, & redemptorum à Chriſto, tanquam à Filio; & eadem plus ex Chriſti Filii ſui meritis, gratiæ, donorumque hauſit, quàm reliqui omnes ſimul homines, ac etiam Ange-

Angeli. Imò verò Maria eſt, per quam Redemptionis fructus in cæteros homines diſpenſatur, atque diſtribuitur. Quod quidem majoris erga Mariam ſolam amoris eſt ſignum.

4. Quia ſcilicet, quidquid Deus toti Eccleſiæ ſuæ dare diſpoſuit, totum id in Mariam plenariè depoſuit: atque contulit: ut totius, omniſque boni plenitudo, & quidquid ſpei, quidquid gratiæ, quidquid ſalutis, quidquid beatitudinis eſt in Eccleſiâ totâ, ejusque filiis univerſis, totum id redundet, defluatque à Maria, & per Mariam.

5. Ob quod etiam Deus, plus cupit, & amat, ab Eccleſia univerſa amari, coli, invocari, unam, ſolamque Mariam, quàm reliquos omnes Angelos, Homineſque ſanctos, gratioſiùsque, & efficaciùs ad ſe per illam recurri, quàm per omnes reliquos & Angelos, & Homines. Sicut idem Deus univerſas aquas collegit in mare, indeque aquæ per univerſam terram diſpertiuntur, & omni humore neceſſario, abundantiùs recreantur, ac fæcundantur, rurſusque ad mare refleunt: juxta illud Scripturæ; *omnia flumina ex mari exeunt, & in mare redeunt, & mare non redundat:* Eccl. 1. 7. quod ſymbolico ſenſu, veriſſimè de Maria Dei Matre dicitur.

6. Quia cùm Dominus noſter Redemptor, giganteis ſuis paſſibus decurreret, expanſiſque Charitatis ſuæ velis, per Oceanum ſuæ Paſſionis, ad conſummandum curſum, ineundumque portum noſtræ per mortem in cruce redemptionis, jamjam inveheretur; tumque & inimicos, ac blaſphemos excuſaret; & latronem de cruce ad Paradyſum, primitias fructuum Patri ſuo ablegaret: & conſummato calice Paſſionis, extremam

etiam mortis fæcem ebibiturus eſſet; ſtitit tamen rapidiſſimum illum omnem Charitatis ſuæ in Redemptionem, & reconciliationem humani generis cum Deo, curſum: eumque tantiſper interrupit, atque agere intermiſit: ideo ſolùm, ut Mariæ Matri ultimum filialis pietatis ſuæ officium perſolveret: ejusque curam Joanni diſcipulo traderet: atque ſuum filialem affectum, in ipſum, gratiâ Mariæ transfunderet, dicens: *Ecce*
*Jo. 19. 26.* *Mater tua:* & Matri: *Ecce filius tuus.* In quo ſuo opere majus fecit miraculum Dominus, majoremque violentiam ſuæ Redemptoriæ, ſalutemque noſtram operari Charitati acceleranti, intulit: quàm eſt illata vis cælorum curſui, tunc
*Joſue 10. 12.* quando ſol contrà Gabaa, & Luna, contrà Ajalon decurrere, prohibiti ſunt; aut quando decem
*4. Reg. 20. 9.* lineis, ſeu gradibus, jam decurſis, retrogredi idem ſol juſſus eſt.

7. Quia in nullâ Creaturâ, neque etiam Univerſâ ſimul, tantum (ut ſic dicam) Majeſtatis ſuæ condignitatis, tantum Cordi ſuo delectationis, tantum Amori ſuo redamationis, tantum divitiis ſuis Opulentiæ immenſæ augmenti, tantum Operibus ſuis requiei, tantum theſauris ſuis ſecuritatis, reperit, obtinuitque Deus; quantùm in unâ ſolâque Virgine Matre ſuâ Mariâ. Rectiſſimè & juſtiſſimè dicebat Maria, habens jam intra viſcera ſua Sapientiam Æternam Incarnatam:
*Sap. 7. 11.* *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ.* Itemque illud meritiſſimè, beatificanti ſe Eliſabethæ
*Luc. 1. 46.* repoſuit: *Magnificat Anima mea Dominum; quia fecit mihi Magna, qui Potens eſt*, &c. Verùm etiam Verbum Incarnatum ſuo pariter modo dicere potuit, poſteaquam à Virgine Verbum Caro factum

factum eſt; Venerunt mihi omnia bona pariter cum Matre Virgine: & Magnificat Anima mea Matrem meam, quia fecit mihi magna: ex quo à Spiritu ſuperventa; & Virtute Altiſſimi obumbrata eſt. Ex Mariâ enim Virgine, accepit Carnem ſuam, totamque Humanitatem, atque adeo etiam Unionem Hypoſtaticam: quia etſi totus non eſt de Virgine, ſicut neque totus eſt de Deo; Totus tamen ſicut Dei, ita & Virginis eſt Chriſtus. Accepit ergo ex Mariâ ſe Deum Hominem, ſe Filium Dei, ſe Filium Hominis: accepit ex eâ, & ab eâ puriſſimam, & (ut quidam Sanctorum audet) Verbi ſpirantem particulam: accepit de Homine Humanitatem, de Virgine Virginitatem, de Matre ſine Patre, filiationem: Prodiit de Munda Mundus, de Immaculatâ immaculatus, de Regia ſtirpe accepit Regium genus, de genere Sacerdotali, ſtirpem Sacerdotalem Aaronicam; de Humillimâ natus eſt humillimus, de Pauperrimâ Pauperculus, de Obediente obedientiſſimus, de Ancillâ ſervus, de gratiâ plenâ, gratiâ plenus, imò Gratiæ plenitudo, de Victrice Victor, de Glorioſâ triumphatrice triumphator glorioſus, & omnis Gloriæ Rex. Denique de Terribili ſicut Caſtrorum acies Ordinata, fortiſſimus armatus David prodiit: *tanquam tenerrimus ligni vermiculus, qui infinitos proſtravit, interfecitque impetu uno.* Ergo meritò DEUS unam ſolamque Mariam, in amore ſuo, præfert toti Eccleſiæ ſeparatæ à Maria: omnibusque Creaturis, ſimul licet acceptis, à Maria autem ſejunctis. *2. Reg. 23.*

8. Porrò Deus, Mariæ Filius, triplici Amore amat Mariam Matrem ſuam. Excepto enim amore

amore illo univerſali, quo Deus diligit omnia opera ſuarum manuum, tanquam ſuæ bonitatis effecta, tanquam perfectionis ſuæ imagines, & imitationes, quo etiam Amore diligit Deus, Mariæ Flius eandem: præter hoc diligit eam;

1. Amore naturali, tanquam Filius Matrem, dilexit & diligit eam: cujus non ſolùm Conſanguineus, ſed etiam ipſe Sanguis eſt: habetque fundamentum amandi, naturalem Originem ſubſtantialem: quod fundamentum immobile, & immutabile cum ſit; inducit etiam amorem, atque amicitiam ejusmodi: & præſertim in Chriſto erga Matrem: (ſicuti etiam in Matre erga Chriſtum: quia Chriſtus ſolius duntaxat Mariæ filius fuit, ſine Patre temporali, unde neceſſe non habuit partiri amorem ſuum Filialem, ſed totum ſoli Matri impendit: ſicut & ſolam illa, Originem ſui eſſe Theandrici habuit. Acceſſit ad hunc amorem Filii erga Matrem conciliandum, fovendum, augendumque admirabilis, & planè ineffabilis ſimilitudo Matris illius cum Filio, Filiique viciſſim cum Matre: in corporis, morumque compoſitione, ſuavitate, gratioſitate, pulchritudine, decoro, & cæleſti quadam ſpecie, ac elegantiâ: ſicut de Filio iſto Mariæ dixit David veriſſime; *Specioſus formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis;* ita idipſum de hac Beatiſſima Matre, pleniſſima veritate dici meritò potuit: utpote, cujus ad inſtar Filius formatus fuerat, ejusque Specioſitatem in ſe tranſtulerat. Addi etiam poteſt, imò debet: quòd inter hunc Filium atque ejus Matrem, fuit ſemper ſuaviſſimus convictus, affectuoſiſſima mutuorum obſequiorum, & officiorum communicatio,

Pſ. 244. 3.

catio, atque concertatio: quæ mirifice Amorem filii excitans, Matrem ſuper omnes Creaturas amare faciebat. Neque faciebat ſolùm, ſed etiam facit, facietque in æternum. Siquidem eædem amandi cauſæ permanſuræ ſunt in æternum.

2. Amavit Chriſtus Deus Matrem ſuam amore item Naturali acquiſito, qui ad naturalem illum innatum acceſſit. Nam ſic Dominus noſter inter nos vivens, amavit (prout Evangelio teſte ſcimus) hoc acquiſito amore, Joannem, Magdalenam, Martham, Lazarum, Adoleſcentem illum quem ad ſui ſequelam invitavit; amavit diſcipulos ſuos; quomodo non infinities impenſiùs Amore flagravit erga ſuam Matrem, cujus (ut alia fomenta, jam ſuperiùs memorata prætermeam) à prima ſui Conceptione, uſque ad Vitæ finem quidem, ſed per annos triginta integros convictu, cohabitatione, comitatu, obſequiisque quotidianis, imò perpetuis uſus eſt: Et cujus ſuperamabili converſatione, conſpectuque omnem moleſtiam (quam ex aliorum hominum, omnium ſanè, qui tunc vivebant, at maximè ex Vicinorum, populorumque ſuorum, rudi, moroſo, exoſo, indignitatumque, ac ingratitudinum pleno, convictu, conſpectu, cæteroque commercio hauriebat, eâque mirum in modum, ſanctiſſimus illius Animus cruciabatur) abſtergebat, & alleviabat.

3. Amavit Dominus JEſus, Deus Homo Matrem ſuam Amore ſupernaturali, eoque ita elevato, ita ardenti, ita appretiativo; ita ſummo, & pleno, ut non ſolùm omnium Creaturarum amorem in eo evinceret, ſed ſolo ſuo amore, quo

Patrem

Patrem æternum, & quo ſemetipſum Hominem Deum amabat, minorem eum haberet. De cætero, nulla Creata mens amoris illius, Filii Dei in Matrem vehementiam, eminentiamque capere, nulla æſtimare, nulla cogitare idonea eſt. Sed ſolus illum Dei Filius habere erga Matrem potuit, ſola illum Mater Dei Maria, à Filio erga ſe habere digna fuit, & eſt, eritque per omnes æternitates. Ob quod meritò illi Pater ſuus David congratulans in ſpiritu occinuit; Diligit Dominus Portas Sion, ſuper omnia Tabernacula Jacob. Cujus illa ipſa ſatis conſcia, atque ideo cum Gratiarum actione, gratulabunda, adgaudensque, ſibi etiam occinit; *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

4. Verè igitur, & indubitatè Deus plus amat unam, ſolamque Mariam Matrem ſuam, quàm aut totam Eccleſiam, aut quàm omnem penitus Creaturam collectim, ſed à ſola Maria ſeorſim, ſumptam.

5. Ob quod meritò etiam, omnis tam Angelorum, quàm Hominum Eccleſia, eandem Mariam Dei Matrem plus amat, plus veneratur, plus exaltat, quàm ullam aliam rem, aut quam ſeſe totam: per amorem & venerationem, & exaltationem, unius ſolius Dei amore, veneratione, exaltationeque inferiorem, ac minorem, utpote quæ ſit ſolo minor Deo, ac uni ſecunda Deo.

6. Ob hoc etiam, eadem univerſa Dei Eccleſia, eandem Dei ſui Matrem, tanto amore, & cultu, ac laude dignam putat, ut ſe ejus amoris, & cultui, & laudi, omnino imparem judicet. Ob hoc enim illam ita & alloquitur, & precatur; *dignare me, laudare* (amare, venerari,) *te*

*Virgo ſacrata.* Quo precandi modo, hoc utique teſtatur univerſa Dei Eccleſia, tantam eſſe, ſupra totam ſe Matris Dei elevationem, exaltationemque Dignitatis, atque laudabilitatis; ut omni ſua capacitate, & contentione, nec ſit, nec eſſe poſſit condigna ad ejus adæquatam exaltationem, atque laudationem: ſed debeat ipſa Dei Mater condeſcendere in hoc, ſuæque Celſitúdinis verticem dignanter inclinare, licentiamque Eccleſiæ aliquatenus indulgere, quâ præſumat conari aliquid in laudem Virginis Sacratæ, Matriſque Dei electæ, & Deo ſuper ſuperque dilectæ.

7. O verè ſtupendam Mariæ ſublimitatem, & quodammodo de Divinæ ſublimitatis eminentia participem. Sicut enim Dei noſtri tanta eſt Dignitatis, Majeſtatis, Magnitudiniſque eminentia, ut ad ejus laudes, & amores, ac ſuperexaltationes, tam impar ſit, quam obligata: tam indigna, quam obſtricta: tam inidonea quàm debitrix; omnis Creata, quantumcunque ſublimetur poſſibilitas: ſed ſit Divinæ Dignationis miraculum, quòd ſe à ſuis Creaturis cognoſci, amari, laudari, obſequiiſque coli ſinat: Ita & Mater Dei & Virgo ſacrata Maria, ſic eſt in ſua Maternali Dignitate ſuper omnem Eccleſiam, ſuperque omnem Creaturarum univerſitatem, ut eam amari, coli, laudarique, deputandum ſit ipſius Mariæ dignationi, atque beneficæ indulgentiæ: poſſitque accommodari Mariæ illud, quod de Deo principaliter dictum eſt; *Glorificantes Dei Matrem quantumcunque potueritis, ſupervalebit enim adhuc: & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes, exaltate illam, quantùm poteſtis. Major eſt enim omni laude.* **Eccl. 42. 33.**

Sive

Sive ergo amare, ſive colere, ſive laudare, ſive invocare, ſive concupiſcere, ſive appretiare, ſive imitari, ſive prædicare voles Mariam, quisquis voles: agnoſce, & reputa illam ſublimiorem omnibus, ad amandum, colendum, laudandum, &c. conatibus, propoſitis, debitisque tuis: ac ideo illam quocunque obſequio proſequuturus, tuo, totiusque Eccleſiæ, quin & univerſæ creaturæ nomine, devotus, & humiliatus præmitte; Dignare me, laudare te, Mater Dei, & Virgo, ſuper omnes Deo dilecta, ſuper omnes Deo ſacrata, ſuper omnes Deo digna.

## *PRAXIS.*

*Pretioſiſſima, atque ſuper omnes creaturas dilecta Deo, Dei Mater, ac Virgo Sacrata MARIA: agnoſco, & confiteor, me, omnemque Dei Eccleſiam, quin & creaturam Dei univerſam, non tantùm imparem, ſed etiam indignam amare, laudare, honorare te: propterea & meo, & totius Eccleſiæ, & univerſæ Creaturæ Nomine, & debito, & affectu, & ſpiritu, conatuque devotiſſimo, ſupplex clamo ad te; Dignare me, laudare te, exaltare te, honorificare te, omnibus, tibi licet imparibus, debitis tamen atque placitis obſequiis demereri Te: laudibusque, & obſequiis tuis impendi: atque immori, propter Te, propterque Filium tuum, Deum meum, omnium noſtrûm, ô Virgo ſacrata, ô Virgo Mater electa, ô Virgo & Mater Dei, Amen.*